

INCIPIUNT DECRETA FABIANI PAPAE

45v

Dilectissimis ubique catholicae ecclesiae comministris Fabianus, salutem in domino. 1

5 Divinis praeceptis et apostolicis monemur institutis, ut pro cunctarum ecclesiarum statu impigro vigilemus effectu, unde consequens est debere vos scire, quae apud Romanam in sacro aguntur ritu ecclesiam, ut eius sequentes exempla eius veri filii inveniamini, quae vestra est mater vocata. 2

10 Septem ergo diaconos in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a patribus accepimus, qui per singulas ebdomadas et dominicos dies atque festivitates sollemnia cum subdiaconibus et acolitis ac sequentium ordinum ministros iniuncta sibi observent mysteria et parati omni hora ad divinum officium et, quicquid eis iniungitur, peragendum. Similiter et vos, prout oportunum fuerit, per singulas civitates est faciendum, ut divinum absque ulla mora et neglegentia studiose ac sollemniter agatur officium. Denique septem similiter subdiacones ordinavimus, qui septem notariis imminerent et gesta martyrum veraciter in integro colligerent nobisque manda manifestarent, quod etiam omnes vos agere mone- 15 mus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat quaestioque oriatur, cum omnia, quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, et, quae nostris temporibus veraciter scribuntur, ad futurorum doctrinam diriguntur. Et ideo fidelissimis haec negotia committi praecipimus, ne aliqua in eis illusio inveniatur, ex qua fidelibus scandalum, quod absit, oriatur. 20

Unde et caritatem vestram paterna dulcedine petimus, ut in cunctis affectum vestrae caritatis sancta ecclesia inveniatur et favoris vestri solaciis, quocumque necesse fuerit, potiatur. Et sicut bonitas studii vestri de se nobis certitudinem 25 praebet, ut in nullo de ea diffidere debeamus, sed magis ut sapientibus filiis ecclesiae nostrae haec fiducialiter commendamus, ita postpositas opportunitatis occasiones vestra efficacia elaborare enixius debet atque id modis, quibus possibile fuerit, omni studio abigere contumelias. Hortamur etiam vos iuxta dictum apostoli stabiles esse et immobiles, abundantes in opera domini semper scientes, quod labor vester non est inanis in domino. Et alibi: Vigilate et orate et state in fide, 30 viriliter agite et confortamini, omnia vestra in caritate fiant.

Insuper et illud vos scire desideramus, quia nostris temporibus praepedientibus quidem nostris peccatis, suadente antiquo hoste, qui semper ut leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, supervenit Novatus ex Africa et separavit de ecclesia Christi Novationum et quosdam alios Christi confessores et convertit in pravam 35 doctrinam. A quibus vos, fratres, avertite et cavete et ab omnibus, qui alteram fidem et doctrinam tenent, quam apostoli et successores eorum tenuerunt et docuerunt, ne, quod absit, post eos abeuntes in laqueum satanae cadatis et compedi- bus eius detineamini.

8 Septem ... diaconos] *in margin*: De septem diaconis civitatis] *corrected from* civitates 9–10 festivitates sollemnia] *read* festivitatum sollemnia 14 agatur] *corrected, perhaps from* agitetur Denique ... similiter] *in margin*: De septem subdiaconis subdiacones] *corrected from* septem diacones 15 qui] *corrected from* quia 16 manda] *corrected from* mandat; *read* rimanda 17 ne] *corrected from* non omnia] *corrected from* omni 28 abigere] *corrected from* agere contumelias] *read* contendatis 32 Insuper ... illud] *in margin*: De novato et novatiano 35 pravam] *corrected from* parvam 38 cadatis] *corrected from* cadeatis

- 6 Unde fraternitatis vestrae caritatem intimis obsecramus precibus, ut nostrae parvitas in vestris sacris orationibus memores esse dignemini, orantes ac deprecantes deum caeli, ut tam nos quam sancta mater ecclesia Christi pretioso sanguine redempta a laqueis venantis satanae et ab importunis et malis hominibus liberemur, et sermo dei currat et clarificetur, et prava eorum et omnium perversa docentium corruat doctrina atque deficiat. Precamur etiam, ut pietatis vestrae precibus impetrare studeatis, ut deus et dominus noster Iesus Christus, qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire, ut sua ingenti omnipotentia reverti faciat corda eorum ad sanam doctrinam et catholicam fidem, quatenus respiscant a diaboli laqueis, quibus capti tenentur, et aggregentur filiis matris ecclesiae reminiscentes quoque fratrum vestrorum, miseremini illorum, quibus potestis bonis studiis vestris, ne perdantur, sed precibus et aliis bonitatis vestrae studiis domino salventur. Ita ergo ex his agite, ut oboedientes filii et fideles sanctae dei ecclesiae appareatis et ut mercedis praemia percipiatis. 40 45 50
- 7 Hi enim et omnes, qui rectam non docent doctrinam vel rectam non tenent fidem, accusatores neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati et a sinu sanctae matris ecclesiae apostolico mucrone usque ad rectam conversationem et reversionem eorum abscisi. Unde apostolica auctoritate cum omnibus eiusdem apostolicae atque universali ecclesiae filiis statuimus, ut omnes, qui in catholica fide suspecti sunt, in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspiciones semper sunt movendae. Merito ergo eorum reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt, nec eis omnino esse credendum, qui veritatis fidem ignorant. Similiter omnes, quos sanctorum patrum statuta, tam praeteritis quamque futuris temporibus anathematizant, submovemus et ab omni accusatione fidelium alienamus. Discreti ergo debent semper esse fideles ab infidelibus et iusti ab iniustis, quoniam infideles et malivoli modis, quibus possunt, semper infestant fideles et perdere nituntur, et ideo non sunt suscipiendi, sed repellendi et procul abiciendi, ne perdere fideles aut infamare possint. 55 60 65
- 8 Quapropter, carissimi, cavete talium foveam, in quam multos recidisse cognovimus, cavete iacula talium et antiqui hostis temptamenta, per quae etiam proprios propinquos coram nobis vulneratos cadere vidimus. Attendite laqueos insidiantium, quibus notos et commilitones strangulare solent. Nolite tales sequi, sed procul repellite eos. Estote iuxta veritatis vocem prudentes ut serpentes et simplices sicut columbae. Videte quoque, ne in vacuum curratis aut laboretis, sed alterutrum fulti precibus et orationibus voluntatem dei facere contendite et a memoratis, si incorrigibiles apparuerint, vos in omnibus separate. 70 75
- 9 Similiter et ab omnibus, quos apostolus commemorat dicens, cum his nec cibum sumere, quia illi sicut et isti sunt pellendi et ante satisfactionem ecclesiae non sunt suscipiendi, quoniam illi, cum quibus cibum sumere non licet, manifeste apparent sequestrati usque ad satisfactionem a reliquis fidelibus. Quamobrem non debent nec possunt in accusationem fidelium suscipi, sed iam ab eorum consortio usque ad iam dictam satisfactionem repelli, ne similes ei efficiantur aut eorum 80

44 currat] *corrected from curat* 50 miseremini] *corrected from misere in* potestis] *corrected from potestas* 54 Hi ... omnes] *in margin: De accusatoribus* 58 atque] *et follows, expunged* universali] *read universalis* statuimus] *corrected from statuentes* 60 suspiciones] *corrected from suspicione* movendae] *corrected from movendi* 62 Similiter omnes] *in margin: De anatematismo sanctorum patrum* 70 vidimus] *corrected from videmus* 73 sed] *corrected from si* 75 apparuerint] *corrected from apparuerunt* 77 illi] *added*

excommunicationi subiaceant, quoniam sic apostoli statuerunt dicentes: Cum  
excommunicatis non est communicandum, et si quis cum excommunicatis aver-  
tendo regulas scienter psallat in domo aut simul locutus fuerit vel oraverit, ille  
85 communione privetur. Tales ergo in omnibus sunt cavendi et non suscipiendi,  
quia iuxta apostolum non solum, qui faciunt, damnantur, sed qui consentiunt fa-  
cientibus.

Unde et beatus apostolorum princeps Petrus in ordinatione Clementis alloquens 10  
populum inter cetera ait: Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos  
90 nolite exspectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter  
observare debetis et voluntati eius absque communicatione obsecundare et aver-  
tere vos ab eo, cui ipsum sentitis aversum, sed nec loqui his, quibus ipse non lo-  
quitur, ut unusquisque, qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias  
ferre, festinet citius reconciliare ei, qui omnibus praeest, et per hoc redeat ad salu-  
95 tem, cum oboedire coeperit monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his,  
quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis, qui exterminare dei ecclesiam  
volunt, et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est, et  
est multo nequior hostis hic quam illi, qui foris sunt et evidenter inimici sunt. Hic  
enim per amicitiarum speciem inimica suggerit et ecclesiam dispergit ac vastat.

Ideoque, carissimi, his apostolicis institutis vos monentes instruimus, ut effecta 11  
certior caritas vestra sollicitius deinceps agere studeat et cautius, ne perversi et  
infideles homines laedendi fideles ac benivolos habeant facultatem, quoniam spes  
taliū et omnium impiorum tamquam lanugo est, quae a vento tollitur, et tam-  
quam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento  
105 diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis.

Summopere, carissimi, tales cavendi sunt et avertendi atque reiciendi, si nocen- 12  
tes apparuerint, quia non solum ecclesiasticae, sed etiam saeculi leges si nocentes  
non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est: Os impiorum devorat iniquita-  
tem. Et dominus per prophetam loquitur dicens: Cum sancto sanctus eris, et cum  
110 viro innocente innocenter ages, cum electo electus eris, et cum viro nocente no-  
cens eris. Et apostolus inquit: Pervertunt mores bonos colloquia mala. Idcirco, ut  
iam praelibatum est, mali sunt semper cavendi et bonis atque benivolis est inhae-  
rendum, ut periculum desidiaē, quantum possumus, declinemus. Et ne pestis haec 46v  
latius devulgetur, severitate, qua possumus, abscidamus, quoniam non temeritas  
115 intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque  
vestrum hac informatione apostolica fultus iuxta vires suas, et fraterna dilectione  
et sanctae religionē mores proprios conservare et in commune alterutrum adiu-  
vare et in caritate permanere et in dei voluntate indesinenter studeat inhaerere, ut  
simul laudantes dominum indefessas illi semper gratias agamus. Valetē in Christo,  
120 carissimi, et praedicta, ut melius potestis, domino opem ferente adimplere stu-  
dete.

Data Kl. Iul. Maximo et Africo vv. cc. cons.

13

84 aut] *added* 92 cui] *corrected from cum* aversum] *corrected from usum* his] *corrected from*  
is 101 sollicitius] *corrected from sollitius* 104 procella] *corrected from procellit* 108 non]  
*added* 112 benivolis] *corrected from malivolis* 117 sanctae] *read sancta* 119 indefessas] *corrected*  
*from indefessa* 120 ut] *read prout*